



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. De tribus modis præparationum, & de præparatione ante officium vigiliarum facienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

meraria audacia est absque vlla præparatione ad tantam accedere maiestatem. Omnis quippe tam diurni quàm nocturni diuini officij fructus consistit in præuia præparatione, secundum quod dicit Propheta: Præparationem cordis mei audiuit auris tua. Et nulla potest esse perfecta oratio, quam meditatio non præuenit, vt ait Hugo in tractatu de oratione. Et Ger-son in tractatu de mystica Theologia admonet, vt religiosus prætermisissis cæteris, ad canonicas horas dicendas se disponat.

Itaque dilectissimi fratres non sit nobis molestum vno horæ puncto, ante vigilias à lectulis surgere: cum omne earum meritum consistat in præparatione. Et venundemus Deo illam temporis morulam, & experiemur quam abundanter retribuet nobis. Et vt in hac præparatione aliquem teneamus modum, & non sit nobis vanum surgere ante lucem, tangemus hîc breuiter tres præparationis modos.

De tribus præparationum modis ad diuinum officium peragendum, & specialiter quomodo religiosus ad vigilias debeat præparare.

CAPVT III.

Dilectissimi fratres describunt Sancti tres præparationis modos, scilicet, præparationem

Remo-

Remotam, { quæ } sanctè viuendo,
 Propinquam, { cōsi- } profundè considerando,
 Proximam, { stit in } feruenter orando.

PRIMA est generalis: & hanc explemus bene & sanctè viuendo, scilicet vt nobis semper caueamus ab omni vanitate tam in cogitationibus quàm in verbis, quàm in actibus: & studeamus assiduè vt cor nostrum diligenter custodiatur, & tempus vtiliter expendatur: & operum intentio finaliter in Deum dirigatur, ne cor nostrum tempore orationis vanis phantasmatibus impediatur. Et si quando se vanis cogitationibus senserit infestari, debet aliquantulum legere ante orationem. & conetur ad ea quæ legit applicare mentem suam: & materia lectionis debet esse talis, vt ferat opem ad purè orandum.

SECUNDA præparatio dicitur propinqua & specialis, quæ facienda est in illo quadrante ante inchoationem vigiliarum, hoc modo: Postquam igitur exurgentes de cubilibus fuerimus induti, manebimus in cellis & stantes erecti supra pedes in loco, vbi quisque orare consuevit, debemus nos pro viribus intra nosmetipsos recolligere. Et sic recollecti, debemus mox considerare quid est quod sumus acturi, & propter quid surreximus à lectis: qui enim non considerat quod acturus est, incautus incedit in operibus suis. Quid enim fratres acturi sumus tempore diuini officij, nisi apparere in conspectu Dei & sanctorum Angelorum, & in Concilio iustorum & sanctorum fratrum? Vnde tria oportet
 nos

nos diligenter considerare, scilicet quòd ten-
dimus.

ad { Deum adorandum,
Deo gratias agendum,
Deum orandum.

Primo rendimus ad Deum adorandum tri-
num in personis, & vnum in essentia adoratio-
ne patriæ super iudicia iustificationis suæ. Iu-
dicia autem iustificationis eius, fratres intelli-
gere debemus incarnationem filij sui vnigeniti
Redemptoris nostri, natiuitatem, circumcisio-
nem, Regibus manifestationem, in templo præ-
sentationem; & denique suam sanctissimam
passionem, resurrectionem & cætera alia: quæ
gloriosus Dominus propter nostram redem-
ptionem super terram operari dignatus est. Et
dicuntur iudicia diuinæ iustificationis, quia per
ea redempti sumus & iustificati. Hoc est igitur
primum, quod postquam à lectulis consurrexi-
mus vt dictū est, cum summa diligetia & deu-
otione debemus cōsiderare. Et in his iudiciis ex-
hortantur nos sancti debere adorare, benedicere,
laudare, & magnificare Dominum: accipien-
do ea sicut obiecta in vigiliis, sicut infra dicitur
in officio vigiliarum.

Secundum quod considerandum est, cum
ad officium diuinum concurrimus, est, quod
tendimus ad impendendum gratias Deo &
eum laudandum pro receptis beneficiis, easque
tanquam obiecta in diurnis horis intueri: vt ex-
ponetur in prima & tertia.

Tertium quod à nobis est aduertendum, est,
quod tendimus orare immensam Dei clemen-
tiam

tiam pro nobisipfis, & pro vniuersis Ecclesie statibus, accipiendo personam singulorum vt explicabitur in sexta & nona. Inuitat autem nos ad prædicta, si attendimus quòd nihil Deo est.

- { Adorari dignius,
- { Laudari rationabilius.
- { Magis necessarium & vtilius.

His cum ingenti deuotione mente pertractatis, oportet vt mox nosmetipfos circumspiciamus: an, vt decet, simus dispositi apparere in Dei præsentia: ad quem habere sermonem tendimus. in Psalmis enim alternatim nobis loquitur Deus, nosq; loquimur ei. Ad hanc dispositionem requiruntur tria scilicet,

- { Purificatio,
- { Recollectio,
- { Affectatio.

Debemus primo habere mentem purificatam ab omni mortali peccato, vt ante diuinam præsentiam dignè apparere valeamus. Secundo recollectam ab omni distractione, vt diuinum officiũ attentè dicere queamus. Tertio affectatam aliquo deuotionis affectu: vt excusso torpore reuerenter canere possimus: vt sequenti præparatione apparebit clarius.

TERTIA præparatio quæ dicitur proxima, consistit in orationis frequentia: nihil enim prodest humana industria nisi adsit diuina gratia. Post prædictorum igitur considerationem flexis genibus suppliciter exoremus dominum, vt concedat nobis quatenus super iudicia iustificationis eius ipsum dignè queamus adorare,

Z &

& pensum seruitutis nostræ deuotè valeamus exoluere. Cumq; auribus nostris cymbalum maius insonare cœperit, surgemus ab oratione, dicentes hæc verba: Hoc signum magni Regis est, eamus & inquiramus eum, & offeramus ei aurum, thus, & myrrham.

Aurum deuotionis,

Thus deuotæ attentionis,

Myrrham fortis & reuerentis stationis.

Et sic pergemus ad oratorium cantantes in cordibus nostris cum ingenti lætitia cantica iubilationis, dicentes iterum: Ecce venit ad templum sanctum suum dominator Dominus: gaude & lætare Syon occurrens Deo tuo. Ecce ô anima mea Deus vniuersæ terræ: & ideo in conspectu suæ immensæ maiestatis psalle sapienter. His igitur & aliis similibus verbis Seraphicis oportet monachum mentem extirpare, & se totum in Deum leuare. Ingressi autem chorum aspergentes nos ipsos aqua benedicta, dicemus: Asperges me Domine, &c. concipientes generalem de culpe leuibus contritionem. Et in ipso ingressu dicemus quoque: Introibo in domum tuam. Dicatur totus versus: Nosq; profundè inclinantes, mentis oculos, in Eucharistia Sacramentum figentes, atque Dominum Deum nostrum cum summa reuerentia adorantes adiungemus: Adoramus te Christe & benedicimus tibi, &c. & sequatur continuo: Dominus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, te iure laudant, te adorant

te glorificant omnes creaturæ tuæ. Et hæc adoratio dicitur latriæ, quæ est quædam species honoris, quæ soli Deo debetur. Et sic vnusquisque nostrum in loco suo stans' clausis oculis, & attracto spiritu, formabit intentionem in corde suo dicens: In conspectu Angelorum psallam tibi, ad laudem & gloriam, & gratiarum actionem summæ & indiuiduæ Trinitatis, & humanitatis Iesu Christi, & in vnione omnium superferuentissimarum affectionum, & orationum Domini mei Iesu Christi olim in terris, & nunc in dextera Dei patris pro nobis interpellantis: & in intellectu quem intendit Spiritus sanctus: & in veneratione beatissimæ virginis Mariæ, & istius sancti cuius hodie memoriam celebramus, & omnium sanctorum. pro salute quoque vniuersalis Ecclesiæ desidero has exoluere laudes; vtinam possem dignas. Et scitote fratres quod hæc intentionis formatio post prædictorum sollicitam considerationem est magnæ virtutis: illa enim exhibet vniuerso vigiliarum officio vim merendi, vt beatus Ambrosius, & alij Sancti testantur. Et adhuc si ex infirmitate in vigiliarum processu mens inaduertenter ad alia distrahitur, excusat nos à reatu distractionis: quia totum refertur ad primam intentionem, sicut præmissum est, formatam. & ideo oratio semper est meritoria, nisi aduertenter distrahatur, & non curet quantum in se est, mentem distractam reuocare. Et hæc sint quo ad præparationem, quam monachus debet facere ante vigilias in præmemorato horæ puncto, si cupit

Z. 2

spiri-

spiritualiter proficere, & eius obsequium acceptum esse Deo, & tota die erit deuotus & iocundus, & ad diuinum officium promptus. Per horas diurnas breuiter postquam in prædictis fuerit assuefactus, poterit considerare, quòd tendit apparere coram Domino, vt adoret eum, eique gratias agat, atque deprecetur eum vt supra diximus. Et quoties ingressus fuerit oratorium, toties aqua benedicta aspergatur, dicens vt supra: Adoramus te Christe, &c. adiciens: Deus meus es tu, &c. Et stans in loco suo in illa morula qua genu flectitur, forme intentionem, & attracto & recollecto spiritu tractet mentaliter præmissa scilicet. In conspectu Angelorum, & cætera.

Quomodo poterit deuotus religiosus in psalmodia esse attentus, & mente in Deum eleuari.

CAPVT III.

Dilectissimi fratres, Sancti in psalmodia varios describunt attentionis modos. Sed quia hac nostra ætate homines sunt rudis intellectus, & in diuinis rebus parum eruditi, non possunt ad sensus spirituales, quos sancti describunt pertingere. Et ideo ex omnibus modis quos sancti Doctores ponunt, vnum decreui mediocrem eligere: & secundum hunc totum diuinum officium, quo ad nostram psalmodiam disponere, vt quicumque quantumcumque rudis, ipsum valeat capere, & in ipso exerceri.